

Quem Nymphæ pellicis ira, &c.

Daphnis in saxum ob violatam fidem coniugii.

*Solent enim amantes irata, hoc modo ulcisci desertores amoris, ut reddant eiusmodi poculo eos stupidos & quasi saxeos.*

AMBIGVVS FVERIT] *Interdum ita mutari sexum, ut vir ex muliere, & mulier ex viro fiat, supra dictum est in fabula Tiresia.*

Celmus in Adamantē propter animi duriciem.

CELME IOVI] *Celmus in Adamantem conversus fingitur, forte propter animi duriciem aut fortitudinem. est enim Adamas lapis omnium durissimus, qui neq; igne neq; ferro molliatur.*

Curetes homines stolidi & scurriles, quorum opera Iuppiter fertur educatus, quia in magna sunt gratia apud reges.

SATOS CVRETAS] *Curetes, qui & Corybantes dicti sunt, finguntur nati ab imbribus, propter gentem histrionibus scurris & morionibus affluentem. Nam Sulgogodimus, illic pluisse fatuis, ubi stultorum magnus est numerus. Fuisse autem illos homines stolidos & scurriles, indicant ipsorum nomina. Dicti sunt enim Curetes, teste Strabone, a tonsura capillorum, quod essent more fatuorum detonsi: item Corybantes, ab eo, quod est caput saltando iactare. saltantes enim movebant tintinabula, & iactabant caput, sicut histriones & fatuis solent. Horum opera Iuppiter fertur educatus. qua de causa etiam histriones, scurræ & moriones, in tanta sunt gratia apud reges ac principes, ut sepe habeantur intimi, cæterisque omnibus præferantur.*

Smilax & Crocus in flores.

ET CROCON IN] *Sicut Lycaonis, Daphnidis, Cygni, & Nyctimenes, ita Croci & Smilacis fabula ex similitudine nominum conficta est. Fingitur autem Crocus fuisse adolescens, cuius amore cum Smilax puella esset incensa, neq; frui posset, ipsa in florem sui nominis conversa est, id quod etiam Croco accidit.*

Hermaphroditus Mercurii & Veneris filius.

VNDE SIT] *Hermaphroditum fingunt Mercurii & Veneris filium, eo quod stella Mercurii, ob qualitates, quibus præest, mediæ nature putatur, nam cum alia stella ab Astrologis dicantur masculinæ, propter maius robur, quo calorem excitant: alia vero fæminæ, propter debiliores vires, & naturam humidam, cui dominantur; Mercurii*

Stellæ cur dicantur masculinæ aut fæminæ.

Stella